V.

Aufforderung des heil. Bernhard an die Böhmen zur Kreuzfahrt (Cod. Caes. Vindob. theol. 934. saec. 15. chart. fol. 145).

Mitgetheilt vom Herrn Professor Meinert zu Prag.

Duci Wladislav, ceteris nobilibus et universo populo Bohemorum S. Bernhardus, Clarevallensis vocatus Abbas.

Salutem in Christo. Est mihi sermo ad vos de negotio Christi, in quo est salus nostra. Quod loquor, ut indignitatem persone scribentis excuset apud vos auctoritas domini, excuset consideracio utilitatis vestre, excuset que in vobis est intentio caritatis, modice enim sunt, sed non modice cupio vos in visceribus esse Christi. Hic zelus urget, ut scribam quod libentius viva voce scribere cordibus vestris laborarem, si, ut voluntas non suppeteret facultas. Sed spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, obtemperare non potest cor, ruptibile corpus anime desiderio, sed nec spiritus velocitatem moles terrena valet comitari. Sed quid hinc querimus? Abest a vobis porcio nostra, sed que melior est, cor nostrum patet ad vos, o Boemi! cor nostrum usque ad vos dilatatum est: et si corpus nostrum onerosum terrarum intercapedo detineat. Audiat ergo universitas vestra verbum bonum; audiat verbum salutis, et oblatam indulgencie copiam devotis cordibus ac brachiis amplectatur; neque enim simile tempus istud ceteris, que preteriere temporibus hucusque. Nova venit celo divine miseracionis ubertas. Beati, quos inveniet superstites annus placabilis domino, annus remissionis, annus utique iubileus. Dico vobis, non fecit dominus taliter omni retro generacioni, nec tam copiosum in patres nostros gracie effudit munus. Videte quo artificio utitur ad salvandum vos. Considerate pieta

tis abissum, et obstupescite peccatores! Necessitatem se habere aut facit aut simulat, dum vestris cupit necessitatibus subvenire. De celo venit consilium hoc, nec ab homine est, sed a corde pietatis divine processit.

Commota est et contremuit terra, quia celi dominus cepit perdere terram suam, in qua visus est annis plus quam XXX, homo inter homines conversatus, — suam, quam honoravit nativitate, — suam, quam illustravit miraculis, dedicavit sanguine, sepultura ditavit, — suam, in qua vox turturis audita est, cum virginis filius castitatis studio commendatur, — suam, in qua primi apparuerunt flores. Hanc promissionis terram ceperunt occupare maligni, et nisi fuerit, qui resisteret, ad ipsum inhiant religionis nostre sacrarium, locumque ipsum maculare conantur, in quo propter nos vita nostra obdormivit in morte, et prophanare sancta sanctorum loca, dico agni immaculati purpurata cruore. Audite amplius aliquid, quod monere debeat quodlibet durum pectus hominis christiani. Accusatur prodicionis Rex noster, imponitur ei, quod non sit deus, sed falso simulaverit esse, quod non erat. Quis in vobis fidelis, qui non surgat et defendat deum suum ab imposita prodicionis infamia? Securus conflictum ineat, ubi sit. Et vivere gloria, et mori lucrum. Quid moramini, servi crucis? Quid dissimulatis vos, quibus nec robur corporum, nec terrena possunt deesse? Suscipite signum crucis, et omnium, de quibus corde contrito, confessionem plenam feceritis, indulgenciam delictorum! Hanc vobis summus pontifex confert, vicarius eius, cui dictum est: Quodcumque solveris super terra, erit solutum in celis. Suscipite munus oblatum, et ad irrecuperabilem indulgencie facultatem alter alteri prevenire festinet! Rogo et consulo, ne propria quisque negocia Christi negotio videat preferenda, nec propter ea, quae temporibus aliis poterant et possunt exerceri istud obmittat, quod ultra recuperari non possit. Et ut noveritis, quo, qua, quomodo sit eundum, audite: In proximo pascha profecturus est exercitus domini, et pars non modica per Hungariam ire proposuit. Illud quoque statutum

est, ne quis variis aut croceis seu eciam sericis utatur vestibus, sed neque in equis faleratis auri vel argenti quippiam apponatur; tamen in scuto et ligno sellarum, quibus utuntur, cum ad loca procedent aurum vel argentum apponi licebit hiis, qui voluerint, ut refulgeat sol in eis, et terrore dissipetur gencium fortitudo. Copiosius et lacius prosequi oporteret, nisi quod habetis apud vos dominum Moraviensem episcopum, virum sanctum, edoctum, quem exhortamur, ut secundum sapienciam, que data est ei a domino, diligencius super hoc universitatem vestram studeat exhortari, exemplarque literarum domini pape inserimus vobis, cuius admonitionem intentissime avere debetis percipere, et eius observare decreta. Valete.

Hec epistola scripta est circa annum domini 1146. vel citra duci Boemie Uladislav, qui post auctoritate imperatoris Conradi factus est Rex coronatus secundus Boemorum post Wratislaum, qui primus fuit rex Bohemorum, quo tempore Otto, Pragensis episcopus, mortuus est, et Daniel in eius locum surrogatus. Olmucensis autem episcopus eodem tempore erat Henricus, qui et Sdyco dicebatur. Illo siquidem tempore fuit passagium Christianorum ad defensionem ecclesie Ierosolimitane contra Regem Babilonie, ad quod dominus Wladislaus cum fratre suo Henrico et patruele suo Spitignero etc. cruce assumpta et armati se transtulerunt.